



**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LVI. De subulco damnum Canonicis Monasterij B. Meinulphi
inferente, qui malo fine vitam terminavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

minimè prævaleret, nam dum eorum inimicitia in longum protelarentur, pius Dominus nunquam in se confidentes derelinquere volens, imò & fortiter tacito modo pro illis pugnare, litem & controversiam finiebat: prædicto namque militari extra propriam patriam sese transferente infirmitate tacto tanquam ab exule, & peregrino finis vitæ in alia patria factus est. In agone autem constitutus coram ijs præsentibus, qui & alijs postmodum referebant, quod publicè protestatus fuisset, quod injuriam satis magnam dictis Regulæ intulisset.

C A P U T L V I .

De subulco damnum Canonicis Monasterij B. Meinulphi inferente, qui malo fine vitam terminavit.

Subulcus quidam in Castro Wewelsburg residens multa & magna damna Monasterio B. MEINULPHI in pascuis & pratis sèpius inferebat, & admonitus non cessavit à transgressu. Postmodum verò cùm à suis adversarijs capitur, & dum jamjamque ei mortem inferre cæperant, exclamatoriè dixit in hæc verba: *Heū heū! quod tam magnum Canonicis intulerim damnum, qui tanta bona mihi sèpibus exhibuerunt!* Ae si diceret: si damnum ijsdem non intulisse, vindictam hujus crudelis mortis non sentirem.

C A P U T L V I I .

Quomodo fractum genu sanatum fuit.

Gertrudis filia Reneti militis de Breuken Castri Wewelsburg postquam in vestitu pompam sèculi peregerat longo tempore, licentia à strenuo suo viro petitâ, & acceptâ propter consecutionem æternorum bonorum vitam solitariam gerere cupiens Prioris Monasterij B. MEINULPHI, & ejus Conventûs consensu interveniente locum Kerchberg, quæ est filia supra dicti Monasterij, usque ad annum indefessè habitaverat, quæ dum quadam vice devotionis causâ cum devota